



**I**oannes ex honesta familia natus, et in omni genere literarum optimè educatus est. Is cum prima artium & linguarum fundamenta feliciter iecisset, sese hinc inde ad varias Academias cōtulit, & Iurisprudentiæ tanta diligentia incubuit, ut Legū Doctor creatus fuerit. Postea Treuirensis præsul Richardus eum ad se uocauit, & ob uariam eruditionem suum Officialem (quem uocant) constituit. Erat is magna eloquentia præditus, & multarum linguarum callētissimus. Itaq; Carolus Cæsar suū etiam oratorē delegit. Itaq; cum 1521 Vuormatiæ comitia Imperij celebrarentur, atq; Lutherus eò uocatus, ut fidei rationem redderet, Eccius

coram Cæsare & frequenti principum senatu cum Luthero locutus, ex eo primò Latine deinde etiam Germanicè quæsiuit, an hos à se cōscriptos fateatur, & pro suis agnoscat: alterum, an retractare quicquam in ijs, an uerò quæ scripta sint tueri uelit: Cum autem libris nominatis Lutherus deliberandi spaciū peteret, Eccius eum obiurgauit, atq; eum causam, cur sit euocatus, nouisse dixit. sequenti etiam die asperiori uultu ad rem respondere iussit, & tandem effecit, ut Lutherus à Cæsare proscriberetur. His & huiusmodi officijs, quibus Eccius Imperio adfuit, factum, ut apud omnes proceres magnū sibi nomen comparit. Sleid. lib. 3.